DISSERTATIO MEDICA

DE

SANGUINIS MISSIONE,

QUAM, Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

LUDOVICUS VILLATTE, urbis Liniarii apud Bituricenſes, in almâ Biturigum Univerſitate Liberalium Artium Magiſter, & in celeberrim*â* Univerſitate Monſpelienſi Medicinæ Alumnus, die Januarii 1791.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.



MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Universitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.
M. DCC. XCI.


AU MEILLEUR DES PÈRES

ET A LA PLUS TENDRE DES MERES,

CHERS PARENS,

S'IL fut jamais de ſentiment tendre & voluptueux, c'eſt ſans-doute celui que j'éprouve en vous offrant ce faible Eſſai de mes études en Médecine; veuillez bien l'accepter comme un hommage de mon reſpect & un tribut de ma reconnoiſſance. Que je ſerois heureux s'il vous pouvoit prouver toute ma tendreſſe, toute ma. . . . . Faut-il que l'expreſſion ſoit ſi fort au-deſſous du ſentiment, & que je ſois réduit au ſilence pour ne pouvoir pas aſſez vous exprimer tout ce que ſent le plus affectueux & ſoumis des fils,

LOUIS VILLATTE.



DISSERTATIO MEDICA

DE

SANGUINIS MISSIONE.

PER ſanguinis miſſionem intelligitur hæc operatio chirurgica, quâ ſanguis è venâ vel arteriâ detrahitur, ope ferri, ſanguiſugarum, aut cucurbitularum ſcarificatarum; hinc ratione vaſorum, in venæ-ſectionem quæ idem ſonat ac phlebotomiam, & in arteriotomiam diſtinguitur. Facilitas quâ celebratur falsò innueret illam parvi eſſe momenti, attamen magnam à Chirurgo dexteritatem expoſtulat; & is anatomem apprimè callere debet, ut omnes partes quæ lædi nequeunt abſque periculo, ab inſtrumento vitentur: inter illas partes numerantur tendines, nervi, arteriæ &c. Quibus quidem

ſublevandis læſionibus plura dantur auxilia , dummodò præſtò adminiſtrentur : maximam autem ſemper à Medico prudentiam expoſtulat ſanguinis miſſio. In mórbis enim inconſideratè adhibita mortem inferre poteſt. Quibus verò morbis excluſivè conveniat talis chirurgica operatio determinare arduum. Hoc opus maximi quidem pretii, nec vires, nec diſſertationis limites pertractare ſinunt. Perpenſis igitur phlebotomiæ effectibus in genere, ſigna quibus tutò in plethorâ inſtitui poſſit, exponere mihi animus eſt.

Quadruplices ſunt effectus phlebotomiæ , ergo ſub quadruplici reſpectu inſtitui poteſt. Etenim vel tanquam evacuatoria, quæ præcipuè locum habet in morbis à nimiâ quantitate ſanguinis pendentibus ; ſic in plethorâ. Tanquam revulſiva, quotiès fluxus ſanguinis velociori impetu, in organum quodcumque irruentis ſit avertendus ; ſic in parte remotâ uſurpatur. Quatenùs derivatotia , quotiès in parte quâdam adeſt congeſtio ſanguinis, tunc in parte proximâ inſtituitur. Quatenùs tandem commotoria, quotiès neceſſaria videtur ſyncopes , ſic in herniæ reductione commendatur.

Per commotionem intelligimus hanc operationem quâ fertur ſanguis versùs hunc aut illum locum, pulſus tenuis , irregularis , intermittens in tempore quo ſecatur vena , probat commotionem exiſtere. Locum habet præcipuè in ſaphenæ ſectione. Hæc agitatio ſanguinis optimè excitatur phlebotomiâ in diverſis corporis partibus in eodem tempore inſtitutâ. Ad excitandam verò illam commotionem quâ operari debet revulſio ſanguinis qui nimis copioſè verbi gratiâ ad caput fertur, ut in phrenitide, apoplexiâ, certè ſalutaris eſſe poteſt larga ſanguinis miſſio ſtatim adhibita. Altera autem methodus prætermittenda eſt ; illa conſiſtit in dividendâ phlebotomiâ , interdum ſuper aperturam venæ ponendo digitum hâc ratione ſanguine fluente per intervalla, vacuationis tempus prolongatur, & optimè ſanguinis commotio & revulſio excitantur. Commotio-

nis effectus aliquandò periculosi fiunt, præsertim apud ægros, qui numquam phlebotomiam experti fuerunt. Itaque numquam admittenda sit, absque prægressâ signorum anamnæsticorum notione.

De effectibus revulsivis & derivativis jamdiù disputatum fuit, quia eorum utilitas & theoria ritè cognosci & perpendi nequeunt, sub legibus physicis, mechanicis, & hydraulicis; sed potiùs solâ scientificâ & strictâ consideratione hominis viventis, & præsertim confirmatâ per phœnomena bene nota quæ sese occurrunt, tum in statu phisiologico, tum & præcipuè in pathologico. Hâc solâ consideratione hominis sani & morbosi, veteres ritè cognoscebant illos motus humorum existere, & quanti momenti erant in medelâ morborum. » ratio, quâ inventa est » revulsio, inquit, (1) est hæc, ut vagos humores, qui per corpus pel- » luntur, & jam cœpere partem aliquam invadere, aliò convertamus, » præbendo illis aliam vacuationis viam. » Hæc sunt conditiones necessariæ per quas obtinetur optima revulsio, quæ sic inveniuntur apud (2) illud notum esse puto, inquit, » optimas illas esse revulsiones, quæ » omnes conditiones obtinent, nempè distantiam, rectitudinem venarum, » communitatem, & ad originem suam fluxiones trahunt ». Ex experimentis autem illustrissimi *Halleri* penitùs constat hunc motum revulsivum esse realem. Venam mezentericam ranæ irritans egregius Anatomicus ille, non solùm retrogradere sanguinem, sed undequâque ad punctum irritatum præcipitantem vidit. Quæ tamen immutatio in directionibus sanguinis fieri nequit, nisi per statum convulsivum, sympathicum (*Barthez*). Quid autem ad experimeuta confugimus? Dum gravissimos

---

(1) *Leonard*, *Jacchin* in lib. rhas. c. 39.

(2) *Joh. Argent.* in *Gal.* ott. medic. comment. 3.

capitis dolores solâ saphenæ sectione curari, edocet nos observatio clinica. In arte medicâ quemadmodum in scientiis quæ factis nituntur, ex observatione ab omnibus confessa dimanant principia, positoque uno principio, ab illo discedere nefas, nostrum concipiendi modum etsi superet. Peccaverunt igitur Medici qui revulsionem recusarunt, eo quod legibus physicis non obsequeretur.

Revulsionis & derivationis theoria sanè consistit in historiâ verâ fluxionum, per fluxionem intelligimus translationem humorum ex unâ parte ad aliam, hic motus non concipi potest absque textu cellulari : textus enim ille cellularis viam præbet faciliorem fluxionibus ex organo ad aliud, in eadem divisione collocatum circumscriptum. Ille dividitur in textum cellularem dextrum, & textum cellularem sinistrum, sicut indicare videntur linea alba abdominis, suttura sagittalis, raphè quæ inter clunes occurrit ; hæc probatur observatione in dissertatione enim de homine dextro & sinistro, quæ reperitur in eximio opere D. *Schlegel* cui titulus, thesaurus pathologico therapeuticus &c. Multa data sunt exempla morborum unum tantum latus infestantium. Sicut icterus, paralysis sudor dimidiam corporis partem occupantes. Aliundè hanc divisionem confirmant illustrissimi *Bordeu*, *Fouquet*. Datur adhuc alia divisio peculiaris textûs cellularis, juxtà quam quodlibet organum habet suam sphæram peculiarem ; & juxtà quam textus cellularis internus communicat cum textu cellulari externo correspondenti, ut patet quotiès os quoddam profundè situm malè afficitur, tunc enim superveniunt in cute superstructâ tumor, rubor, calor, dolor, quæ non succederent, nisi intima communicatio proxima adesset inter textum cellularem internum & externum ; quâ communicatione cessante, desiderantur prædicta symptomata. *Broussonet* Professor meritissimus. Illius textûs cellularis præcipuæ facultates sunt permeabilitas, & vis tonica : ejus permeabilitas probatur puris congeriebus, quæ ex quibusdam cavitatibus, sicut è pectore rransferun-

tur in alias partes. Adhuc probatur abceſſubus purulentis qui ſubitò evaneſcunt, & qui per urinas aut alvum vacuantur. Pariter ejus vis tonica non in dubio revocari poteſt, quamvis imperceptibilis, illâ enim ablatâ quomodo puris hæ tranſlationes ex interiore parte, ad ſuperiorem explicarentur, motu continuo & inſenſibili fruitur ille textus cellularis. Hoc factum tribui debet principio vitali, quo omnes corporis partes animantur ut dixit *Hyppocrates omnia viventia in corpore animato.*

Triplicem cauſam affert fluxionum *Hypp.* refrigerationem nimiam, caliditatis exceſſum, & repletionem, dum aït, fluxiones & perfrigeratâ validè carne, & percalefactâ fiunt, & ſupertumefactâ *Proſper Martian.* Sed cum domino *Brouſſonet* admittimus in quâcumque fluxione, tria præcipua elementa, & quæ conſtituunt illius cauſas proximas, ſcilicet, ſtatus partis mandantis, ſtatus partis recipientis & relationes peculiares quæ inter illas exiſtere probantur. Status partis mandantis magis idoneus ad determinandas fluxiones, ut ſpaſmus aut replétio, dum in parte recipiente adeſt debilitas vel irritatio : notandum tamen partem mandantem eſſe ſæpiùs in ſtatu dumtaxat paſſivo, dum è contrà irritatio adeſt in parte recipiente. Relationes autem quæ frequentiores faciunt fluxiones ex unâ parte ad aliam, derivant ex illarum poſitione naturali, mediante, ut jam diximus, textu cellulari. Alia eſt relatio plerumque favens fluxionibus, quæ pendet verbi gratiâ à ſympathiis virium principii vitæ, in partibus quæ colligantur in peculiari ſyſtemate, nervoſo ſcilicet, ſanguineo, lymphatico, membranaceo. In curâ fluxionum ſemper attendendum eſt ad partem mandantem, ad partem recipientem, ad naturam humoris; an ſit ſanguis, ſeroſitas, mucus. Hæc omnes enim ſpecies humorum, poſſunt eſſe cauſæ materiales fluxionis. An fluxus ſit completus aut non completus. Completus eſt, quotiès fluit humor per fluxionem & extrinſecus evadit. Incompletus quandò nullum

adeſt effluvium, & tunc fluxio per alia ſigna evidens fit, ut tumore, calore, dolore, &c. hæmorrhoïdes fluentes aut apertæ, & hæmorrhoïdes cæcæ aut clauſæ nobis ſuppeditant exempla illarum duarum ſpecierum fluxûs. In priori caſu fluit ſanguis per vaſa hæmorrhoïdalia, in poſteriori adeſt tantum tumefactio in ipſiſmet vaſibus. Sed ferè ſemper circà partem mandantem præſertim dirigi debent remedia. In hæmophtiſi apud mulierem è pulmone proveniente, antequàm ulla adhibeantur remedia, examinari debet ſtatus uteri, videlicet num occurrat tumefactus, an inſtet tempus menſtruorum, quæ fluere nequeant ob majorem ejus viſceris reſiſtentiam; tunc enim evidens eſt cauſam hæmopthiſis jacere in uteri vaſis, quo quidem in caſu remediorum applicatio emollientium ſuper regionem uteri ſublevationem affert. Eâdem modo procedendum in aliis omnibus fluxionibus, tum mucoſis, tum bilioſis &c. Inter remedia fluxionum ſanguinis miſſio præcipuum tenet locum; tanquam revulſiva adhiberi debet in primâ periodo fluxionis, id eſt incipiente fluxione; quia tunc facilius humor avertitur versùs partes remotas; ſic ſectio ſaphenæ, eſt revulſiva ergà caput. In congeſtione verò factâ inutilis eſſet revulſiva, tùnc adhibetur ſanguinis miſſio localis, propè partem affectam, & dicitur derivatoria v. g. ſectio jugularium in affectionibus capitis.

Nunc plethoram conſideremus, & quæ ſint ſigna quibus ſanguinis miſſio tutò in illâ inſtitui poſſit. Plethora vera præcipuum venæ-ſectionis indicans, morbos & ſymptomata maximi momenti ſæpè gignit, inflammationes quippè, hæmorrhagiæ, vigilia, anxietates, oppreſſio pectoris, ſopores, deliria convulſivi motus, proſtratio virium, indè aliquandò originem trahunt, ad quæ mala minuenda & removenda venæ-ſectione ſæpè nullum efficacius datur remedium, ideoque affectiones hujuſmodi, ſive febriles, ſive non febriles, ab abundantiâ ſanguinis ortas, vel ſuſtentatas, ſanguinis miſſione nunc maximè levari nemo dubitabit. Verùm caracteres plethoræ in morbis obſcuri ſæpè & difficiles cognitu ſunt; hinc

magna difficultas ad rectè determinandam venæ-ſectionem in morbis : ſunt etiam qui nimis timidi in illâ celebrandâ , & qui per omiſſionem hujus aut retardationem periculum ægrorum adaugent ; hinc naſci poſſunt , ut vidit *Hoffmannus* , inflammatio ventriculi , phrenitis &c. Apud juveniles ſanguine plenos febribus acutis correptos. Sed alii dantur in ſanguine detrahendo nimis temerarii , nam ex evacuationibus valdè repetitis & copioſioribus gignuntur effectus triſtiſſimi. Sic illuſtriſſimus *Van-Swieten* vidit mulierem omni denique ſoluto corporis robore in hydropem incidiſſe , cui ob validiſſimos & ſæpè renatos animi affectus , ſexageſies & ultrà anni ſpatium vena-ſecta fuerat. Manias & ſtultitias , à nimiâ ſanguinis & in opportunâ miſſione ortas non raro *Sydenhamus* obſervavit.

Hæc autem ſunt ſigna quibus præſtantibus cognoſcetur hic morboſus ſtatus , & quæ tamen fallacia quandòque reperiuntur. Sunt qui ſuppreſſionem cujuſdam evacuationis tanquam ſignum plethoræ dant. Sed hoc dubium eſt , quippè quod hæc evacuatio ſuppleri poſſit per aliam , putà tranſpirationem inſenſibilem , vultûs rubedinem , venarum intumeſcentiam , totius corporis calorem intenſum , pulſum plenum , fortem , magnum , torporem recenſuit ill. *Van-Swieten*. Aſt hæc non ſufficiunt , calori enim intenſus reperitur in morbis quorum congeſtio bilis in primis viis cauſa eſt quod probatur emeticorum purgantiumque ſucceſſu in illis morbis. Plenitudo pulſûs non majori donatur certitudine , cum reperiatur betiam in morbis putridis gaſtricis. Quandòque obſervatur parvus , humilis pulſus ; hâcque in circumſtantiâ ſi ſecetur vena , fluente ſanguine fit fortior , totiuſque corporis vires quæ quaſi ſopitæ jacebant , priſtinum paulò poſt acquirunt robur. Nihil ominus , hæc omnia ſymptomata conjuncta iu eodem ſubjecto robuſto poſſunt diagnoſim formare. Ad ſubſequentia verò nobis per utile confugiendum videtur , quapropter interro-

gandus est æger, num laboribus nimiis, num vigiliis immodicis, num veneri indulserit, num jejunium diù pertulerit? qui etenim iis diù laborarunt ad motum inhabiles pulsumque parvum habent. Verùm si ex iis nihil expertus fuerit æger, si sit ætate quâ viget plethora, scilicet virili, nullus tunc dubio locus, nullum tunc sanguinis missione præstantius auxilium.

FINIS.



ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in sacro Consistorio Consiliarius, Universitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.